

## PRÆFATIO.

v

Valckenaerii Porsonique libris facile possunt intelligere, quam multum profecerit lectio Philosophorum omnium, Plutarchi imprimis, ad Euripidem, illum quem vocant Scenicum Philosophum, emendandum. Verum ut immensam illam operam diligenter perfecerim, diligenter inquam, quia leviter id fecisse nulli potuit usui inservire, opus erat annorum spatio duplo majori quam eo nobis adhuc peracto. Quæ cum ita sint, facile mihi lector condonabit, quod aliis libris neglectis, ad Euripidem evolvendum totus me contulerim, probe gnarus Euripidem ipsum dictionum Euripidearum optimum esse Interpretem. Adde his, ex re verbisque nostræ fabulæ perspectis, conjecturam quisque facere potest, nullum esse locum a Veteribus citatum. Hanc contra conjecturam undecies tantum loca, quæ sciam \*, repugnant. Plura fortasse Doctiores indicare possunt †.

De Pseudo-Gregorio dramatis Christi Patientis conditore quæstio oritur longe diversa. Primus studia sua Piersonus ‡ ad centonem istum convertebat, et ad Euripidem emendandum, drama versibus conflatum Euripideis in usum vocabat. Eandem viam Valckenaerius et Porsonus ingressi sunt: quod et Brunckium non fecisse miror. Olim enim Valckenaerius monuerat se quasdam in Hippolyto non adspernendas lectiones ope centonis illius eruisse; in aliis autem Tragœdiis, Medea scilicet, Oreste, Rheso, Troasin,

\* Viz. v. 1. 2. 316. 463. 484. 546. §90. 966. 991. 1170. 1178. Penultimum notare neglexi: quem Plato Rep. VIII. non longe a fine in animo habuit; vid. Porson. Præf. Hec. p. xxix. Quod ad 890. locus insignis est in eo, quod Dawesius verba Euripidis incerto cuidam Ionico Poetæ adjudicarit.

† Dum hæc scribebam in tres Stobæi locos Tit. CVIII. p. 249. Grot. CXXIII. p. 503. CXXII. p. 495. incidi, quorum omnes cum Aldina consentiunt in vv. 101, 2. vv. 617, 8, vv. 641, 2.

‡ Ex monitis fortasse sui præceptoris Valckenaerii; quem adeas Phœn. 60.